Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26856
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et auertat impietates ab iacob. Et hoc
illis a me testamentum cum abstulero
peccata eorum. Secundum euangelium quidem
inimici propter uos. secundum electionem autem
charissimi propter patres. II. Sine penitentia enim sunt dona et uocatio dei.
Sicut enim aliquando et uos non credidistis deo. nunc autem misericordiam
consecuti estis propter illorum incredulitatem. ita et isti nunc non crediderunt
in uestram misericordiam. ut et ipsi miseriam
consequantur. Conclusit enim dominus omnia in incredulitate. ut omnium misereatur. III. O altitudo diuitiarum
sapientiae et scientiae dei. quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. et inuestigabiles uiae illius. Quis enim cognouit sensum domini. aut quis consiliarius eius fuit. aut quis prior dedit illi et retribuetur ei. quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso
sunt omnia. ipsi gloria in secula seculorum. amen. IIII. O bsecro uos itaque fratres per misericordiam dei.
ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem sanctam deo placentem. rationabile obsequium uestrum. Et nolite conformari huic seculo. sed reformamini in
nouitate sensus uestri. ut probetis quae sit
uoluntas dei bona et bene placens et
perfecta. V. Dico enim uobis per
gratiam quae data est mihi omnibus qui sunt
inter uos. non plus sapere quam oportet
sapere sed sapere ad sobrietatem. et unicu
iq. sicut deus diuisit mensuram fidei.
Sicut enim in uno corpore multa membra habemus. omnia autem membra non
eundem actum habent. ita et multi
unum corpus sumus in xpo. singuli autem alter alterius membra.
VI. Habentes autem donationes secundum
gratiam quae data est nobis differentes.
siue prophetiam secundum rationem fidei. siue
ministerium in ministrando. siue
qui docet in doctrina. Qui exhortatur
in exhortando. qui tribuit in simplicitate. qui praeest in sollicitudine qui
miseretur in hilaritate. Dilectio sine
simulatione. VII. Odientes malum. adherentes bono. Caritatem
fraternitatis inuicem diligentes. honore inuicem praeuenientes. Sollicitudine non pigri. Spiritu feruentes. domino seruientes. Spe gaudentes. in tribulatione
patientes. VIII. Orationi instantes.
necessitatibus sanctorum communicantes. hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus uos. benedicite et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus. flere cum flentibus. Idipsum inuicem
sentientes. Non alta sapientes. sed humilibus consentientes. Fra. ii. Pri.
Nemo enim nostrum sibi uiuit. et
nemo suum moritur. Siue enim
uiuimus. domino uiuimus. siue morimur.
domino morimur. Siue ergo uiuimus. siue
morimur. domini sumus. In hoc enim. xpe. et
mortuus est et resurrexit. ut et mor-